

Vinculum verbi est explicitum, vel implicitum.  
Explicitum est, cùm verbum substantivum  
*Sum* medio loco ponitur inter subjectum & præ-  
dicatum:

Ut, Deus est omnipotens. Dixi, *medio loco ponitur*. Si enim ponatur solum, non est copula: ut si dicam, Deus est. Huc pertinet distinctio propositionis in binariam & trinariam, item distinctio inter τὸ est secundi & tertii adjecti. Est tertii adjecti vocatur ipsa copula: ut, homo est animal: & hæc propositio est trinaria, quia constat tribus, videlicet subiecto, copulâ, prædicato. Est secundi adjecti dicitur verbum substantivum, non *συνθετικῶς* vel *συνθετικῶς*, *copulativè*, sed *ὑπαρκτικῶς*, quod barbari Latini dicerent, *prædicativè*, ponitur: ut, homo est. Et hæc est propositio binaria, quia constat duobus vocabulis. Huc pertinet canon: *Ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti valet consequentia*: ut, homo est animal. Ergò est.

Vinculum verbi implicitum est, cùm idem includitur prædicato:

Ut, Ignis urit, hoc est, est urens. Quidam docent, vinculum includi subiecto. Sed perperam. Ratio: quia copula subservit manifestationi subiecti. At illa manifestatio est à prædicato.

Vinculum conjunctionis est, cùm subjectum cum prædicato disponitur vi conjunctionis:

Ut, Si Deus est justus, est alia post hanc vita.

Cap. 2. *Axioma affirmatum & negatum.*

**S**Equuntur species axiomatis, quæ sumuntur partim ex formâ, partim ex materiâ illius. *Illas formales, has materiales dicamus.*

Formales species axiomatis, sunt tum principales, tum minùs principales.

X